DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

PANACEA UNIVERSALI,

QUAM

FAVENTE SUMMO NUMINE

Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS,

ÆGIDII GILLISSEN,

S. S. THEOLOGIAE DOCTORIS, HUJUSQUE FACULTATIS IN ACADEMIA LUGD. BAT. PROFESSORIS ORDINARII.

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu,*
& *Nobiliſſimæ* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis, rite ac legitime conſequendis,

Solemni eruditorum examini ſubmittit

JOANNES DAVID JACQUET,
BRILA BATAVUS.

Ad diem 15. *Junii* MDCCLXVIII. *H. L. Q. S.*

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JOANNEM OUWENBROEK, 1768.

Exercitium eſt humanæ vitæ conſervatio, caloris naturalis lima, excitatio dormientis naturæ, virtutum corroboratio, ſuperfluiditatum conſumtio, otio inimicum, temporis lucrum, juventutis debitum, & ſenectutis gaudium, ſalutis adjutorium, deſtructio omnium malorum.

V I R O

I N T E G E R R I M O

D. IMANNO JACQUET,

CIVITATIS BRILANÆ SUBPRÆFECTO, NEC NON URBIS BRILANÆ CHIRURGO EXPERTISSIMO, PATRI SUO EXOPTATISSIMO, CARISSIMO, OMNI FILIALI AMORE AD ROGUM USQUE SEMPER AMANDO, COLENDO, VENERANDO.

N E C N O N

V I R O

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, DOCTISSIMOQUE

D. CORNELIO VAN DAM VAN AERDEN,

MED. DOCT., INCLYTÆ CIVITATIS BRILANÆ SENATORI, EXCONSULI SAGACISSIMO, HOC TEMPORE SCABINO JUSTISSIMO, NEC NON CURIÆ FEUDALIS IN AGRO VOORNENSI ADSESSORI, BONORUM ECCLESIASTICORUM IN AGRIS VOORNANIS, PUTTENIS, ET OVERFLACQUEÉ QUÆSTORI ACCURATISSIMO FIDELISSIMO, COGNATO SUO HONORATISSIMO, OB INNUMERA IN SE COLLATA BENEFICIA, AD EXTREMUM VITÆ HALITUM MAGNI SEMPER HABENDO, EXISTIMANDO.

Haſce ſtudiorum ſuorum primitias, ea qua par eſt obſervantia

D. D. D.

J. D. JACQUET, AUCTOR.

PROLOGUS,

L. S.

Studiis meis Academicis finem impoſiturus, cogor, antequam lauream Doctoralem adſequi valeam, aliquod thema, pro ſpecimine meorum in arte noſtra progreſſuum, in lucem edere; laudabili itaque majorum conſuetudini ſatisfacturus, dubius diu multumque hæſi, quodnam mihi pro Viribus Juvenilibus ſumerem ſpecimen; tandem præ cæteris, maxime mihi adriſit agere de Panacea Universali. *Nonne miraris* B. L. *me juvenem tironem, velle deſcribere Panaceam, & quidem Univerſalem, cum putas forte nullam ſtricte dictam in rerum natura cognitam dari? mox dicam quænam ſit mea Panacea: forſan putas me hujus vel illius aut mercurii aut Antimonii præparati uſus enumeraturum, vel quod ſim deſcripturus*

adeo decantatæ hiſce temporibus cicutæ vires, aut quod Divinum illud donum corticem Peruvianum, Martem, Opium, folia Aurantiorum, aut ſimile quoddam medicamentum heroicum vel empyricum velim. Nihil minus, hæc omnia non volo: interim etiam ne credas velim, me aliquod novum medicamentum ſpecificum univerſale inveniſſe, mea Panacea ab omni ævo jam exſtitit, & cognita & habita eſt, pro ſummo, tam ad conſervandam ſanitatem, quam ad avertendos, præcipue chronicos morbos, remedio; Motum Muſcularem Exercitia corporis quævis moderata volo.

Itaque nil novi proferam, ſalubritatem motus muſcularis ſummam tam in conſervanda ſanitate, quam in avertendis morbis deſcribam, ex qua vobis patebit, hunc Jure Panaceam dicendum eſſe.

DIS-

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

PANACEA UNIVERSALI.

§. I.

Motus autem definitio ſecundum Phyſicos, eſt mutatio ſtatus corporum, nam nullum corpus movetur, quod non poſt motum aliter ſeſe habeat quam antea, & omnis mutatio nil niſi motio eſt.

Per motum autem de quo mihi in diſſertatione hacce ſermo erit, intelligere volo, iſtum voluntarium motum ſive animalem, qui fit in corpore noſtro, & quo pro animæ arbitrio de loco in locum movemur. Motus vero conſiderari poteſt duplex, vel totalis, vel partialis, quum totum corpus movetur, vel quædam duntaxat ejus pars, ut manus, brachium, &c. vel etiam internus,

 ſive

ſive qui fit per proprias vires corpori inſitas, vel externus, qui alienis, peragitur viribus. Statuitur quoque quod ſit lenis & vehemens, ut ambulatio, equitatio, ſaltatio, vectio in curru, navigatio, &c. vel dividitur inter motum, exercitationem & laborem; quod ſcilicet motus ſit res quædam magis communis & conveniens quam exercitatio, dum ſæpe multi moventur, neque tamen exerceri dicuntur; ſic v. gr. ambulatio, blanda equitatio, motus tantummodo vocari debent; ſic & labor dici non poteſt exercitatio, etſi motus ſit vehemens: ſic fodientes, plantantes, & plurimi fabri laborare dicuntur, non vero exerceri.

Veteres autem proprie exercitationem dixerunt motum corporis vehementem, voluntarium, cum citato anhelitu ſanitatis tuendæ gratia factum. De hiſce nunc nobis agendum erit, & primo eum conſiderabimus quatenus ſanitatem conſervat præcavetque morbos, dein quomodo eos tollat.

§. II.

Quum itaque nullus ſit motus, quin ſuas habeat poteſtates agentes, operæ pretium erit, ut, antequam ulterius progrediamur, videamus, quænam hæ poteſtates ſint in corpore noſtro: tantummodo hic loquor de motu interno (§. I.) de externo autem poſtmodum videbimus.

Maxima pars corporis noſtri, conſtat ex muſculis qui motus animalis inſtrumenta ſunt, quemque vocamus, qui ex contractione quadam partium animalis vivi naturaliter cietur: ut docet nos Celeberrimus Præceptor meus ſemper venerandus *B. S. Albinus in Hiſt. Muſc. Cap. I.* Muſculi ſunt partes molles,

car-

carneæ, variis conſtantes, partibus, præcipue ex fibris carneis, rubris, proprie muſcularibus dictis, tendineis, quibus accedunt membranulæ inter fibras illas intercedentes; nervis præterea, arteriisque & venis: accedit membrana qua obducti. Videamus nunc breviter uſus quos præſtant dictæ hæ partes.

§. III.

Præcipua muſculi actio ut cuique notum eſt, proprie conſiſtit in contractione, hæc autem contractio fit in parte ejus carnea, vel a fibris carneis, tendineæ vero vix ſe contrahunt, tantummodo a carneis trahuntur tenduntur que. Nervi muſculorum inſervire videntur motui eorum, ut docet nos *Celeberr.* mox citatus *B. S. Albinus*, ſic enim ait *Cap. III. Hiſt. Muſc. pag.* 19. *Per nervos a cerebro, ejusque cauda ſpinali medulla, accedere videtur cauſa proxima contractionis fibrarum, quæ, qualis ſit, & longum eſſet hic inquirere, & nimium nos ab evidentibus rebus abduceret ad latentiſſimas, quas, cum nihil quicquam ad eas inveſtigandas adhuc valuerit Anatome, hic non attingemus. Adducimur autem ad credendum per nervos eam accedere, quoniam nulla amplius ſeſe contrahendi vis muſculis ſupereſt, cum modo nervi ad eos pertinentes plane impediuntur, ſive comprimantur, ſive vinculo conſtringantur, vel diſcindantur, ſive alio quocunque modo depraventur: eademque ipſis redditur, ſimul atque in integrum iidem nervi reſtituuntur.* Verum facultas hæc ſeſe contrahendi, æque videtur muſculis tribui ab arteriis; pariter enim eorum actio impeditur ab arteriis quocunque modo læſis, quam quidem ſolis nervis: tamen dicere debemus potius nervis id

 fieri,

ſieri, quamquam modum quo ſit ignoremus, tamen certum eſt, ut muſculis ita imperemus, ut ad voluntatem noſtram ſe contrahant relaxentque. Hinc de arteriis ſtatuendum eſt, uſus eorum ſolummodo eſſe, ut reliquis noſtri corporis partibus inſerviunt, ſcilicet ad nutritionem, afferendo humores ad eam neceſſarios: de venis autem dubium non eſt, quin humores hos iterum evehant. Celluloſa vero fibras inter ſeſe connectit, atque pingui ſua lubricitate efficit ut facilius cedant; idem quod præſtat membrana muſculorum externa, quæ laxitate ſua cum vicinis connectens, facilem ipſis concedit mobilitatem. Videamus jam quinam in corpore ex inſtituto motu inſequantur effectus.

§. IV.

Ex Phyſiologicis ſatis cognitum arbitror, quantum ad vitæ & ſanitatis rationem valeat æquabilis & perennis motus progreſſivus, ſive circulus fluidi illius vitalis ſanguinis, per majora & minora corporis noſtri vaſcula, unde ſi hic ſalvus ſit, inutilia, ſuperflua, & excernenda, feliciter per ſua quævis emunctoria, perſpirationem præcipue evacuantur; atque nihil eſſe quod hanc tam egregie juvet quam motus, corporisque exercitatio. Sub motu enim muſculares partium fibræ conſtringuntur, unde ſit, ut fluida majori vi propulſa, citatiori curſu per vaſa progrediantur. Quo ergo frequentior & copioſior ſanguinis eſt affluxus ad cor, eo major fit ejus expanſio, & quo major diaſtole, eo major ſubſequitur ſyſtole: unde clare puto patet, quare una ſaltem corporis parte vehementius commota, circulus ſanguinis in univerſo corpore fiat intenſior, & hoc

hoc calore perſundatur, ipſaque perſpiratio promptius ſuccedat.

Hic itaque motus circularis eſt, qui corpora ab omni putredine, corruptione, morboſo ſtatu ac morte ipſa cuſtodit: quum certum eſt morboſas affectiones potiſſimum ab impedito ſanguinis circulo provenire: quia ſub muſculorum contractione, vaſa & præcipue venoſa conſtringantur, ſicque ad fluidi ſanguinis progreſſivum motum promptiorem animentur, unde particulæ craſſiores attenuantur, & multas ſordes ex humoribus deterguntur, unde tubuli ſubcutanei excrementum halituoſum ſalſo ſulphureum a ſanguine ſegregant & per cutis meatus a corpore divellunt.

§. V.

Beneficio autem hujus muſculorum actionis, fluidæ etiam impelluntur partes ut fortius ſolidas impellant, & rurſus ſolidæ partium fibræ muſculares, flexibiles redduntur ac aptæ ad vibrationem facilitandam ſtringuntur atque impelluntur, ut fluida majori niſu impulſa citatiori curſu per vaſa volvantur, quo reciproco motu optime æquilibrium inter ſolidas & fluidas partes, conſervatur & reſtauratur. Etenim in venis ut laxioribus ex ſua natura arteriis, præſertim reducentibus ſanguinem, intra muſculos ſitis, regreſſus ejus languidior eſt, qui maxime motu & exercitatione corporis adjuvatur, id quod clariſſime conſpicitur, quando vena inciſa ſanguis mittitur, tunc ſemper digitis compreſſis, celerius effluit. Imo quoniam videmus procedente ætate multa aboleri vaſa, ſic hoc medio magnum quoque robur firmis additur partibus, quod nimirum plurima vaſa exilia com-

compreſſa concreverint in fortiores membranas, ut liquida dein per vaſa majora ferantur; omnes pori aperiuntur, meatus & ductus dilatantur quo in extremis præſertim artubus, nervi, membranæ, ligamenta, muſculi & oſſa, roſcida irrigantur humiditate & recreantur, ſimulque totius corporis agilitas & promptitudo ad agendum comparatur. Mediantibus his, partes ſanguinis multifariæ adeo & mole, motu indoleque diverſæ intime miſcentur, ſubiguntur ac uniuntur: quando vero non accurate miſcentur, ſecedit aliqua pars, remanetque rudis terreſtrisque, ſicque tandem perit ſanitas.

Continuata igitur muſculorum actione, magnum præſertim adjumentum naſcitur officinis inſtrumentisque quibus ciborum digeſtio, chylificatio, ſanguificatio & ſpirituaſcentia rite perficiuntur, vita prolongatur, ſanitas conſtans & integra, ſimulque omnium ſenſuum externorum vigor integer ſervatur.

Ad hanc rem notatu dignum eſt, ipſam almam naturam, ad commodam exercitationem admonere, cujus vis omnis in motu poſita eſt, eamque non modo infantes & pueros atque omnia animalia bruta juniora, (quibus alias a natura eſt tributum, ut, quæ ad vivendum ſunt neceſſaria, proſequantur, declinenturque ea, quæ nocitura videantur) ſtatim ab ortu, ad motum, agitationem, colluſiones, curſus, ſubſultationes atque ſaltationes nec ſine voluptate etiam ad ſummam defatigationem ſtimulare, ut nempe juncturæ membrorum flexiles & fortes mature reddantur, ſanguis in puritate ſua ſervetur ejusque circulatio libera maneat, tranſpiratioque facilis, atque omnia organa per gradus quaſi extendantur usque ad menſuram proportionatam, ſed & motum fortiorem tanquam exercitium involuntarium inſtituere, quo a morbis ſe liberare ſatagit, ſternuta-

nutationem puto, pandiculationem, ſingultum, tuſſim, vomitum, &c. quæ omnia ſanguinem accelerant, aliosque in ſanguine impetus vel ſaltem ad ejusmodi motus inſtituendos invitantia, pruritus & ſimilia irritamenta excitare. Ad quos motus inſtituendos omnes corporis partes ſemper quaſi ſeſe ſponte offerunt, & paratæ ſunt nutusque exſpectant, ut ad ſui modulum per tenſionem illam conſtantem, quæ omnibus præſto eſt, quaque donatæ illæ ſint, quæque tonus alias vocatur, agant, atque mira non raro agilitate & promptitudine ab externis injuriis imminentibus ſe tueantur.

§. VI.

Hiſce nunc præmiſſis ad ſcopum redeamus: primo omnium autem operæ pretium erit demonſtrare, atque tam ex veterum quam recentiorum auctorum ſcriptis comprobare, motum, (ſive exercitatio, ſive labor aut motus in genere ſit,) optimam eſſe medicinam, corpus ab omni morborum genere præſervantem. Ita *Galenus lib. 2. de ſanitate tuenda*, ſcribit: *ſanitatis tutela a labore eſt auſpicanda.* & *libro de boni & mali ſucci cibis*, ait: *ad ſanitatem tuendam, maximum quidem malum eſt, omnimoda corporis quies; perinde atque maximum bonum eſt motio moderata, hoc eſt ſi corpora moderate exerceantur.* Clare etiam ſuo jam tempore id expreſſit magnus noſtrorum parens *Hippocrates*, qui *lib. 1. de Victus ratione*, inquit: *qui comedit ſanus eſſe non poteſt, niſi etiam laboribus utatur.* Sic & eleganter quoque canit *Ovidius in Epiſt. VI. Lib. 1. de Ponto.*

Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus,
Ut vitium capiant ni moveantur aquæ.

Verum quid opus eſt verbis? quid multorum colligere auctoritates? quum experientia ipſa quotidiana comprobat, quod illi homines, qui laboribus ſunt dediti, vitamque degunt agreſtem, quod hi inquam, non modo ſunt robuſtioris corporis, ſed & vitæ longævioris, & vitam plerumque immunem degunt a multis gravibus ac chronicis paſſionibus, Calculo, Podagra, Arthritide, Quartana, Malo Hypochondriaco, Cachexia, Scorbuto, Hydrope, & quam plurimis aliis morbis; quum e contra videmus homines qui vitam ſedentariam agunt, & divites qui quotidie cibis abutuntur & potubus largioribus vinoſis & ſpirituoſis ardentibus, absque juſto corporis exercitio, fere ſemper hoc illove morbo obnoxios, ut docet *Doctiſſ.* præceptor meus *H. D. Gaubius in Path. Med.* §. 467. Sic affirmat *Magnus van Swieten in Comment. ad Aphorism. Clariſſ. Boerhavii Tom. I. Cap. de Morbis Spont. ex acido humore* §. 61. *nº.* 4. ubi inquit; *durus arator atrum & jam acidum panem vorans, inde optime ſe habet, debili homini ingeſtus talis panis in rodens acidum convertitur & moleſtiſſima cardialgia afficit.* Sic & *F. Hofmannus in Cap.* 2. *Part. III. de Morborum Origine ex cop. & vitio ingeſt. Videmus homines robuſtos, agreſtes, plebejos, labori deditos, ingentem prorſus alimentorum copiam ſine ullo periculo & optime ferre poſſe adeo ut inde firmiores & robuſtiores evadant, a qua imbecilles & infirmi læduntur.*

§. VII.

§. VII.

Ex dictis hiſce nunc clare abundeque patet, quantam utilitatem & emolumentum motus, labor & exercitatio debita adferant corpori, dum ſanguinis in orbem progreſſum intendunt, unde non ſolum promovetur transpiratio, verum depreſſa excitatur. Jam vero notiſſimum eſt, motu, ſanguinis circuitum accelerari, ejusque calorem & fluiditatem augeri: teſtes ſunt febres, quibus ob celeriorem ſanguinis circulum, quem pulſuum celeritas indicat, admodum intenſus calor conjunctus eſt. Quotidiana experientia quoque nos docet, hyemali tempore, quando corpora frigore adfecta ſunt, labore promptiſſime incaleſcere, reſpirationem fieri citatiorem, ſudorem promanare largum, vires collapſas erigi, ut & faciei colorem fieri vivaciorem, pulſum evadere celeriorem, & appetitum proſtratum excitari: motu enim humores non modo tenues ac fluidi redduntur, ſed quoque in ventriculum ac digeſtionis officinam impelluntur; hinc appetitus acuitur & robur corporis inſigne capit augmentum.

§. VIII.

Vidimus antea (§. VI.) homines agreſtes præ aliis a morbis immunes eſſe; exponendum nunc eſt, quare ſub victu largiori, & pleniori ciborum ſatietate, tantum uſum ac commodum præſtet conveniens corporis exercitatio: nihil enim magis ſanitati adverſatur quam diuturna quies ac vita ſedentaria. Copioſus ingeſtus cibus, ſuccos copioſos ingenerat, qui ad ſanguinem delati, ob nimiam molem & copiam, motui ejus circula-

 torio

torio reſiſtunt; hinc chylus, qui ex his originem ſuam habet, quique nutritioni deſtinatus per univerſum corpus diſtribui debet, facile vitiatur, unde non primis tantum nocet viis, ſed labem quoque ſuam in omnes humores diffundit, unde merito niſi valido motu attenuetur, multarum cacochymiarum cauſa inde proveniat, ut ex *Pathologia Celeberr. H. D. Gaubii*, §. 323—326. videre eſt.

Sic videmus in puellis vitam ſedentariam agentibus, quæque abutuntur cibis farinoſis crudis non fermentatis & ſaccharinis, ut & potibus aquoſis calidis largioribus caffæ, theæ, quam plurimis obnoxias eſſe morbis, & hinc laxa tumidula & glutinoſis humoribus plena harum corpora fiunt. Dum enim ſalubri motu corpus ſuum exercent, liquidorum per vaſa propulſio augetur, unde plurimorum viſcerum obſtructiones præcaventur: quam in rem non inelegans locus eſt *Galeni Comment. I. Lib. VI. epidem: Cap. V. motu paulo vehementiori, redundantes evacuantur humores, & quicquid pituitoſum craſſumque & crudum eſt ad concoctionem ducitur.* Valido motu dum corpus exercetur, reſpiratio aucta, diaphragmatis & muſculorum abdominalium actione reciproca, omnia hæc viſcera movet, premit, ad ſe mutuo quaſi adfricat, & ſic deterguntur omnia. Diaphragmatis enim actione citatiori continuo magis magisque præcipue agitantur hepar & lien, viſcera per ſe inertia, & exinde horum officium promovetur, obſtructionesque præcipue præcaventur.

Motus debitus tollit & avertit plethoram caloremque ſuſcitando, crudum illud ſubigit, exundantem humorum copiam conſumit, eosque ab excrementitiis ſordibus depurat. Deinde quamdiu legitimo utimur motu, fluiditatem humoribus concilian-

lian-

liando, eosque fortius per vaſa impellendo, tamdiu nec excretiones ordinariæ ac naturales ſuas deſerunt leges, nec ea, quæ ſecundum naturam ex corpore ejici debent, retinentur, ſed tenuiſſimi tubulorum alveoli aperti ſervantur, quibus occluſis, conferta morborum agmina producuntur.

§. IX.

Nullum itaque datur in rerum natura cognitum motu excellentius remedium, a quo tam eximia beneficia in corpus humanum redundant, unde merito *Panacea Univerſalis* vocari liceat, quum omnes evacuationes rite & mirifice promovet: unde *Galenus Comment. XI.* §. 3., *Exercitatio*, inquit, *ſupplet purgationem vitioſorum humorum qui in corporis profundo ſunt.* Idem quoque affirmat *Sanctorius lib. de motu & quiete*, dum ſic ait: *ſi homines exercitio & laboribus uterentur, carere poſſent multis medicis & medicamentis.* Mirum hinc non eſt, motum non modo vitam tueri ſanam, & corporis actiones ſervare integras, ſed & ipſum animum ejusque vires excitare, ac ingenio vigorem conciliare. Quum enim motus in univerſo corpore ſalubres inſigniter producat effectus, fieri non poteſt, quin ipſe quoque animus ob intimam, qua corpori conjunctus eſt affinitatem, aliquid mutationis inde ſentiat. ſic *Galenus lib.* 1. *de ſanit. tuenda*, aſſerit: *exercitiis modicis, tum corporis, tum animi, cuſtoditur intra ſanitatis fines nativus calor.* Sic & *Plinius* inquit, *epiſt. 6. lib.* 1. *mirum quoque eſt, quam animus agitatione & motu corporis excitetur.* Recte ſatis & affirmat *Clariſſ. F. Hofmannus in Diſſert. de motu opt. corp. medicina: Ita ſæpe obſervavimus,*

inquit, *plures ex nimia cerebri humiditate & humorum copia ſtupidos, temperantiæ & continuis corporis motionibus poſtea addictos, ſagaciores ac prudentiores evaſiſſe.*

§. X.

Vidimus huc usque quid efficiat motus ad ſanitatem conſervandam, morbosque præcavendos, tranſeamus itaque ad ſecundam diſſertationis noſtræ partem, quæ in eo conſiſtit ut demonſtremus, quomodo motus amiſſam etiam ſanitatem reſtituere, ſive morbos ſanare virtute ac efficacia ſua queat. Dum enim motus plethoram ſolvit, ſuperflua & excrementa ſecludit, obſtructiones viſcerum diſſolvit, non poteſt non etiam magnum in Medicina effectum, ſive tutiſſimum remedium exſiſtere, unde & de eo dici poteſt, quod magna in Medicina ſine medicina præſtet.

§. XI.

Primo itaque motu juvantur actiones ſolidorum in humores, (§. IV.), ab eo enim commoventur omnes humores in vaſis ſtagnantes, hinc & ſanantur omnes morbi, qui originem habent a laxitate & debilitate ſolidorum, & lentore ac viſcoſitate humorum, verbo in omnibus caſibus, ubi natura languet. Res enim eſt clariſſima atque per experientiam perſpicua, præcipuam remediorum efficaciam, quæ petuntur ex fonte Pharmaceutico & Chirurgico in eo conſtare, ut vel motus nimios ſiſtant, vel eos deficientes, indeque ſecretiones & excretiones imminutas vel languidas promoveant. Porro negari ab ullo

re-

rerum medicarum perito non poteſt, omnia quæ ſanguinis circulationem augent cum blanda diaphoreſi, optimam conſtituere medicinam: quæ omnia efficiuntur & continentur in motu, quique rite & pro diverſa individuorum conſtitutione adminiſtratus utiliſſimam præſtat medicinam. Quum autem variæ ſunt motûs ſpecies, ut (§. I.) jam demonſtravimus, quarum ſingula ſuas in corpus humanum agendi poteſtates habent, eique tam emolumentum quam noxam inferre poſſunt, hinc ut Medicus omnium earum vires ac proprietates probe perſpectas habeat neceſſe eſt.

§. XII.

Notiſſimum eſt, intermittentium febrium cauſam proximam, ſecundum *Celeberr. H. Boerhave in Aphor. ſuis de cognoſc. & cur. morbis* §. 755., conſiſtere, in viſcoſitate primis viis, nec non in ſanguine collecta, unde meatuum obſtructiones & perſpiratio cutis impedita. Jam autem nihil magis convenit, quam ut corpus iterum perſpirabile reddatur, meatus aperiantur, & viſcidum præter naturam collectum attenuetur. Id quod omnium optime præſtat motus, dum illo, ſanguis fortiori majorum vaſorum contractione, per tenuiſſima vaſa propellitur, unde neceſſario attenuatur, & a ſuperfluis excrementitiis partibus liberatur. Quod & in vulgus notum eſt, quos ſæpius videmus tertiana correptos, tempore novi paroxyſmi curſus inſtituere vehementiores, ad laſſitudinem usque, unde perfecte interdum ſanantur; ſed imprimis in quartanis tempore ἀπυρεξίας motus laudatur: ſic *Johnſton in Syntagm. M. Pr. lib.* 1. *cap.* 2. phlegmaticis, craſſis, quartanariis vectionem in rheda commendat.

In

In febribus lentis ex ventriculi vitio, & intempeſtiva febrium intermittentium ſuppreſſione, & perverſa curatione, nullum præſtantius proſtat remedium, quam corporis exercitatio quæ abſolvitur per equitationem vel per vectionem; unde humor ille lentus, viſcoſus, tubulos ac meatus obſtruens optime diſſipatur: hinc egregie ſcribit *Celſus Cap.* 15. *de Geſtatione: Geſtatio quoque longis & jam inclinatis morbis aptiſſima eſt; utilisque eſt & his corporibus, quæ jam ex toto febre carent, ſed adhuc exerceri per ſe non poſſunt; & his quibus lentæ morborum reliquiæ remanent, neque aliter elidunt.*

§. XIII.

Sic & præſtantiſſimum efficit remedium in cachexia ab imminuto motu animali; conſtat enim ex Phyſiologicis, chylum ex ingeſtis paratum, ſanguini venoſo permiſceri, & diu ſuam ſervare indolem, licet una cum ſanguine per vaſa & viſcera corporis noſtri circumvehatur; tandem tamen aliquot horarum ſpatio humoribus noſtris penitus aſſimilari, neque amplius in ſanguine apparere. Verum in illis qui vitam ſedentariam agunt, qui inerti torpent otio, & ſomno diuturniori indulgent, languet motus muſcularis, qui uti antea (§. IV—X.) dictum fuit tantum confert ad validam & expeditam ſanguinis circulationem, unde aſſimilatio illa chyli tardius in talibus & minus bene perficitur, adeoque ſenſim degenerantibus humoribus inducitur cachexia, quæ optime exercitationibus corporis blandis curari poteſt; quales ſunt ambulationes per aërem liberiorem, vectiones in rheda, vel equo & ſimilibus: omni autem momento tunc viſcera abdominalia & thoracica pendula con-

cu-

cutiuntur, & ſibi invicem leniter quaſi adfricantur; interim aër purus majori impetu in pulmones agit, omnibus itaque his ſimul conſpirantibus circulatio fit auctior, chylique exinde aſſimilatio intenſior: unde etiam videmus peritos in arte Medicos ſimulac vernus tepor adſpirat, languentes chronicis morbis ægros rus ablegare, ut puro non ſolum fruantur aëre, ſed & ſimul frequentiores habeant occaſiones ſalubri motu corpus exercendi, per ambulationes, vectiones, equitationes &c., niſi etiam tales ægri velint his uti, ſenſim in eandem relabuntur calamitatem: quod toties compertum habemus in puellis a languida chloroſi curatis, & vitam ſedentariam nimis amantibus, quæ negligunt reſtauratum corporis robur ſuſtinere corporis exercitiis; volunt enim ex ingeſtis ſolis nutriri & nihil agere, unde nunquam bonum faciunt ſanguinem, ſed poſt breve temporis ſpatium æque debiles & pallidæ ſunt ac ante, inersque & vappida redit cacochymia.

§. XIV.

Ad ſcorbuti cauſas inter alia merito annumeratur otium; definitur autem quod ſit ſumma functionum corporis læſio, a magna ſanguinis & ſuccorum vitalium dyſcraſia & corruptione ob ingeſtis pravis proficiſcens, quæ omnia longe majori ſunt nocumento, ſi vita iners, deſes, omnisque fere laboris & exercitationis expers conjungitur: ſic enim vitalis fluidorum circuitus & abhinc pendentes ſecretiones & excretiones valde retardantur, ſanguinique craſſities & ſpiſſitudo inducitur. Hinc certe nec efficacius nec certius ad eundem tam præſervandum quam curandum exſtat remedium præter ſufficientem motum

 cor-

corporisque exercitationem: etenim quum continua cordis ſyſtole, & reciproca diaphragmatis ac thoracis actio, qua mediante ſimul ſanguinis circulus per abdominis viſcera egregie promovetur, unice vitalem fluidorum & ſolidorum motum ſuſtentat & moderatur; hunc vero corporis exercitatio, ſub qua, (motu muſculorum aucto,) contenta in ipſis fluida propelluntur, mirum quantum adjuvat: non iniquum hinc L. B. facturus ſum puto, ſi corporis motum *Univerſalem* illam *Panaceam* appello, quæ naturalem fluidorum mixtionem, & ſolidorum ſtructuram conſervat, ſanguinis & humorum curſum promovet, purum ab impuro ſeparat, adeoque omnis Generis morbos tam chronicos quam acutos, ipſumque ſcorbutum arcet. Conſentit & hac in re *Hippocrates* qui *lib.* II. *de diæta* hæc profert: *Otium humectat & corpus reddit debile, labor vero ſiccat & roborat.* cujus dicti ratio per ſe ſatis liquida eſt, & noſtram de motus in ſcorbuto utilitate ſententiam non parum confirmat: nam ab otio tardior omnino fit ſanguinis circuitus, unde humor ſuperfluus non ſufficienter per excretoria eliminatus, fibroſas nerveasque partes relaxat: cum e contrario a labore nimiæ humiditates diſſipantur, quibus expulſis tenſio ſolidorum increſcit, majusque corpori robur accedit.

§. XV.

Frequentiſſime etiam oritur Melancholia ut & affectio Hypochondriaca ex vita ſedentaria, literatis & ſtudiis addictis familiaris, quæ unicam ſæpius naſcentis morbi cauſam conſtituit: quemadmodum enim frequens corporis exercitatio, non modo ſolidarum partium, muſculorumque robur ac motum

val-

valde promovet, verum & humores reddit fluxiliores: ita ex hujus intermiſſione languent vires, fibrarum elater proſternitur, ac humores non vegete circumacti redduntur Spiſſi. In curando nunc & allevando hoc morbo, omnia remediorum genera longiſſime ſuperat motus corporis; qui nunquam a reliqua curatione excludendus eſt, & quo ipſo plus crebro præſtamus in reſolvendo ſanguine craſſo & obſtructionibus aperiendis, quam præſtantiſſimis remediis. Hoc enim & humores redduntur fluxiliores, eorumque tranſitus per hepar inſigniter facilitatur; ventriculi & inteſtinorum motus cum digeſtione egregie adjuvatur. Inſtituere autem illum oportet moderate, atque tum præcipue, ubi digeſtio abſoluta, ac ventriculus a cibis vacuus eſt, vel ambulatione, vel vectione in rheda, vel equitatione, ſicut hoc *Clariſſ. T. Sydenham in diſſert. epiſt. ad celeberr. Cole pag. mihi* 414., admodum efficaciter hoc deduxit, ubi imprimis de equitationis utilitate diſſerit, & ſacerdotis cujusdam meminit, qui malo hypochondriaco vehementer correptus, incaſſis jam multis adhibitis pharmacis, tandem ſolo corporis motu absque medicamentis, priſtinum acquiſiverit Vigorem.

Eo quoque referre licet omnes illos, qui cachectico corporis habitui obnoxii ſunt, qui ex torpore humorum, ſcabie, tumoribus ædematoſis, variisque rheumaticis defluxionibus corripiuntur; qui omnes auxilium deſideratiſſimum experiuntur debito corporis motu.

§. XVI.

Commendabilis etiam motus debitus corporis eſt in hydro-

pe, quatenus roborat vaſa & viſcera, & obſtructum ſi cauſa ſit reſolvit, quum ſit valde depravatus corporis habitus, quoad omnes partes & functiones ſuas, cum inſigni & præternaturali humoris ſeroſi, aut in toto corpore aut in certis quibusdam cavitatibus ſtagnatione & collectione conjunctum; præter alia originem ducens ex cibis craſſis, viſcidis & dulcibus, vel ſola nimia voracitas, in iis potiſſimum qui parum ſe movent, unde ab omni tempore corporis motus, inter remedia hydropis annumeratus fuit. Ipſe & *Hippocrates lib. VI. epidem.* hanc hydropis curam proponit: *hydrope laborantem convenit exercitationibus defatigari, ſudare, panem edere, parum bibere, vino albo, nec multo ſomno uti.* Quæ curandi methodus potiſſimum de Leucophlegmatia intelligenda venit, in quam perfacile ii, qui morbos longos & immodicas hæmorrhagias perpeſſi, corpus nimio cibo vel potu replent, incurrunt.

Sub muſculorum actione premitur continuo celluloſa, quæ muſculis non tantum incumbit ſed & ubique iis interpoſita eſt; adeoque & in anaſarca ob hunc effectum utilis eſſe poterit, movendo ſerum ſtagnans. Hinc ſuaſit *Celſus lib.* III. *cap.* 21. multum ambulandum eſſe currendum aliquando.

In hiſce vero ſemper obſervandum eſt, ne ſubito per valida corporis exercitia in motum ducantur ſtagnantia, verum quod ſemper a lenioribus incipiendum eſt, quum hæc magis conveniant ægrorum viribus, quæ ſemper debiliores ſunt; unde iis optime conducunt motus qui fiunt vectione in equo, navi & ſimilibus; & qui viribus magis conſtant, inceſſus per pedes eſt utiliſſimus. Totus enim ſcopus in eo conſiſtere debet, ut motu vitali aucto, ſtagnans lympha ſic diſponatur, ut a venis reſorberi queat, reſorptaque humoribus circulantibus permiſta;

ſta, per varia ſe — & ex — cretoria organa de corpore iterum exire.

§. XVII.

Sic & in colica bilioſa ſecundum *Sydenhamum* non datur præſtantius remedium ac ipſe corporis motus, dum ægris hoc morbo laborantibus, equitationes, vel in curru vectiones quibus longiora itinera confici debent, commendat: *Hujusmodi enim*, inquit, *in oper. ſuis univ. pag.* 211. *exercitiis*, *materia morbum committens in corporis habitum deducitur*, *& ſanguis perpetua agitatione comminutus*, *de novo quaſi depuratur*; *ipſaque demum inteſtina*, *caloris nativi excitatione*, *haud parum corroborantur ac refocillantur. Nec pudet fateri*, *me dicto hoc exercitio in partes adſcito*, *morbum hunc*, *cui alio quovis modo devincendo par non fui*, *plus ſemel penitus expuliſſe.*

Huc etiam pertinent homines, qui ad rheumatismos, catharrales defluxiones, arthriticos dolores, opthalmias humidas, &c. valde proclives ſunt, qui non meliorem præſervantem inveniunt Medicinam, quàm in motu pro ſubjecti natura ac indole temperato. Hi enim dicti morbi, ab excrementi humidi ſeroſi accumulatione, tranſpirationis defectu, & tardiori ſanguinis motu, cauſam atque originem ſuam petunt.

§. XVIII.

Præterea in aliis gravibus morbis & affectibus corporis, motus & quidem validior conducibilis eſt: unde *Celſus* loco jam

citato (§. XII.) ſc. *Cap.* 15. *de Geſt.* admodum illum commendat in ſtomachi vitiis, in tabe, & cum aqua cutem ſubiit, & in morbo regio, aut ubi nonnulli morbi ſine febre manent, ut comitialis & inſania eſt: dum illi morbi omnes, ex frigido denſo humore, vaſa hinc inde obſtipante, & ſanguinis circuitum impediente, naſcuntur; qui autem motu corporis validiori, optime in ordinem redigitur. Sic *Doctiſſ.* mox citatus *T. Sydenham in diſſert. epiſt. ad clariſſ. Cole pag.* 415. ubi de equitatione loquitur, aſſerit, nemini convenientiorem eſſe corporis motum, quam ipſis tabidis pthiſicisque, ut ſequentibus exprimit verbis: *Neque magis hypochondriacis prodeſt hoc exercitii genus, quam tabidis pthiſicisque, quorum nonnulli mihi ſanguine juncti, multum terrarum equo vectore peragrantes, ex meo conſilio ſanitati ſunt reſtituti; cum certo ſciam me vel medicamentis quantivis pretii, aut alia methodo quæcunque demum ea fuerit, nihil magis iisdem proficere potuiſſe, quam ſi multis verbis hortatus fueram ut recte valerent.*

§. XIX.

Quoniam nunc nimis longum foret, nec Diſſertationis limites caperet, omnes, præter jam expoſitos, deſcribere morbos, in quibus motus corporis conveniat, ſufficiant hæc pro ſpecimine: tandem nec ſilentio prætereundum eſt, fæminarum morbos plerosque dependere a menſium fluxu irregulari, & non ordinem, rectum modum ac tempus ſervante. Nemo hinc in dubium vocabit, corporis motum qui ſanguinem æqualiter exagitat, qui viſcidum, quod venas uterinas conſtipat, diſſolvit, efficaciſſimum præſtare poſſe remedium in omnibus

fere,

fere, quos experiuntur, chronicis morbis ipſæ fæminæ: tantum ut abſtineant a validioribus omnibus exercitationibus tempore graviditatis.

Nihilominus vero gravidarum conditioni temperatus corporis motus ſæpe convenit, dum ſcilicet liberiorem tranſpirationem promovendo, multas ſeroſas impuritates, haud absque inſigni emolumento matris & fætus excludit.

§. XX.

Ultimo adducam, quod motus juvet multorum medicamentorum operationem, ita ut ſine ipſo, deſideratum in medendo effectum minime exerere queamus. Sic notum ſi purgans asſumptum fuerit, (corporis motu, non nimis tamen forti,) medicamenti vim egregie adjuvari, imo intendi, ita ut longe copioſiores experiantur ſedes qui movent ſe, quam qui quiete utuntur.

Poſt venæ ſectionem motus corporis conveniens, & in aëre liberiori cælo ſereno inſtitutus, omnino ſuadendus eſt: quo autem liberior & æquabilis per omnes partes ſanguinis motio fiat, & ex detracto ſanguine forſan reſultans imbecillior calor reſuſcitetur; qua ratione præcaveri poſſunt cruditates ventriculi, quæ ſæpius largiorem ſanguinis miſſionem excipiunt.

Martialia quoque, ſive in ſubſtantia, vel forma liquida adminiſtrentur, non niſi inſtituto poſt eorum uſum motu felicem ſortiuntur effectum: quoniam ex hujus intermiſſione, non modo vis medicamenti imminuatur, ſed & notabilis noxa inde emergat, dum in ventriculo non ſoluta manet metalli portio.

Sic tandem acidulæ & omnes aquæ ſalubres frigidæ, mirabilem vim

vim habent, tam mole ſua, quam virtute ſpecifica minerali ſtimulante inveteratas viſcerum obſtructiones expediendi, & viſcidum vaſorum colliquandi; niſi autem motu externo ſufficienti comitentur, & ipſarum efficacia juvetur, fruſtraneus ſæpe illorum eſt effectus, omnemque ſpem medentis & ægroti eludunt.

§. XXI.

Poſtquam itaque in genere demonſtravimus, quem uſum atque commodum habeat, tam in tuenda ſanitate, morbisque avertendis, quam in ipſis curandis, opportunus corporis motus; operæ pretium ac utile fore arbitror, ſi jam verbo omnes fere & præcipuas exercitationum ſpecies percurram, & quid quævis commodi vel incommodi adferat, & quibus individuis quadret, diſtincte & evidenter annotem.

§. XXII.

Omnium autem motuum vel exercitationum leviſſima eſt *Deambulatio*, literatorum conditioni admodum accommodata, multumque valet in ſtomachi vitiis, quoniam digeſtionis & ſecretionis negotium optime procurat, & corpus ab alvi obſtructionibus vindicat, ut & ab omnibus cruditatibus & malo hypochondriaco præſervat: quippe cum univerſa ſimul machina in ambulatione laboret, & muſculi omnes æqualiter commoventur, ſanguinis circuitum toti corpore ex æquo reſpondere neceſſe eſt, a quo, cum viſcera & habitus corporis, robur ſuum atque calorem accipiant, ſatis evidens eſt, etiam tonum illo-

illorum, illa ſanguinis per motum diviſione inſigniter confirmari.

Quum autem in genere perſpirationem egregie adjuvat corporis *motus* & *exercitatio*, hinc *Celſus Lib. IV. Cap. 5.* in omnibus ſtomachi vitiis hanc ipſam 1°. levem, deinde majorem & maxime eam quæ ſuperiores partes moveat, laudat; idque adſerit quoque *Lib. I. Cap.* 8. his verbis: *Si quis ſtomacho laborat, legere clare debet, poſt lectionem ambulare, tum pila vel armis aliove genere, quo ſuperior pars movetur, exerceri.* Affirmat etiam *Hippocrates Lib. Epid. VI. Sect. IV. exercitatio ſanitatis eſt veſci, citra ſatietatem, & non refugere laborem.*

§. XXIII.

Similes fere & eosdem cum *Ambulatione* effectus exſerit *Saltatio* placide & moderate inſtituta, ſi vero modum excedit, & per totam, ut plerumque mos eſt, extenditur noctem, ita ut corpus immaniter ſudet, multum fatigat, & laſſitudinem membrorum producere poteſt, & leviori ſuſcepto frigore, tales facili negotio obnoxii fiunt rheumaticis & inflammatoriis morbis. Poſſem hic excerpere multa quæ ſat ingenioſe & eleganter hinc inde habet auctor quidam, libri cui titulus **den Arts off Geneesheer** de ſaltationis ſalubritate, ſed brevitatis amans, lectorem meum ad hunc librum, nam melius ex ipſo fonte bibuntur aquæ, mitto.

Vehementiores autem motus ſpecies ſunt *Curſus* & *Pilæ parvæ Luſus:* prior ſicuti corpus magis calefacit, & humores intenſius movet, ita & plus exſiccat, extenuat, viſcidum & ob-

ſtructiones reſolvit; ea ſolum obſervanda venit cautela, ne plethoricis, & iis quorum venæ craſſo & copioſo ſanguine turgent, ni vena prius aperiatur, imperetur: ſanguinem enim nimis commovendo, laſſitudinem non ſolum, ſed & dolores capitis, hæmorrhagias, pulmonum inflammationes, &c. mala excitare valet. Optime autem febricitantibus convenit, ut (§. XII.) exemplo jam vidimus.

Simile quid dicendum venit de *Pilæ parvæ Luſu* quem præ aliis exercitationibus adeo commendavit *Galenus*, ita ut peculiarem etiam de eo libellum conſcripſerit. Totum autem corpus hoc exercitio commovetur, dum crura, brachia, cervicem, caput, & dorſum admodum celeriter & æqualiter exercet. Inaſſuetis vero valde moleſta venit hæc agitatio, unde aſſuetis ſolummodo nec non fortioribus commendanda: ſemper tamen obſervandum, ne corpore per ſudorem liquefacto, ſubito hauſtum frigidum ingerant, quod non paucos vita ſæpe privavit.

Ad vehementiores exercitationum ſpecies pertinent *Aſcenſio in altum*, uti & *Inceſſio calopodiis ferratis*, quæ ambæ ſimiles edunt effectus.

§. XXIV.

Ex modo deſcriptis colligere licet, inter omnia reliqua exercitia & motiones corporis, *Exercitium Tornatorium* Principibus atque Magnatibus hodie quoque familiare & gratum, optimos etiam edere effectus, quoniam eo tornatores in ſedili ſedentes, ſuper ſcamnum tornatorium, torno tornant, pedes ſurſum deorſumque movent, ſimulque abdomen, ac univerſum

pene

pene corpus hujusque muſculos fere omnes, æquabiliter & ad æquilibrium magis, etſi non ſimul, alternatim tamen exercent, tollunt atque attollunt. Quod exercitium ideo commendandum venit iis, qui membra habent infirma aut qui in abdomine & artubus ſentiunt incommoda, qui malo hypochondriaco, & obſtructionibus lienis & hepatis tentantur.

Spectant huc etiam omnes operariorum & ruſticorum *Labores*, hæc enim quantum ad longam & ſanam vitam contribuant, paganorum conſtans corporis valetudo oſtendit. Nam ſi quid in illorum humoribus vitioſum jam collectum eſt, id per has membrorum agitationes mediante ſudore commode excernitur: imo & tam efficax in iis eſt actio ventriculi, ut etiam crudiores & duros cibos optime ſubigere queat.

§. XXV.

Sermo ſeu *Claræ vocis Pronunciatio*, peculiarem motus ſpeciem conſtituit; vocis enim contentio ſanguinis iter & curſum per univerſum corpus accelerat, unde & calorem & perſpirationem auget. Huc pertinet *Cantus*, *tubarum* & *fiſtularum Inflatio*, *Riſus* & ſimilia; an & hic *Tuſſis*, *Sternutatio*, *Vomitus*, *Oſcitatio* & *Pandiculatio?*

Ex Phyſiologicis notum eſt, reſpirationem, ſanguinem minime refrigerare, verum potius calefacere, nam dum ſanguis per anguſtias innumerorum tubulorum pulmonalium tranſit, agitatione fluidior ac calidior redditur, ejusque motus progreſſivus inſigniter augetur: teſtimonio eſſe poſſunt concionatores, qui dum hyeme etiam acerrima e ſuggeſtu ſermones faciunt, inſignem corporis fervorem ſibi adſciſcunt. Unde non incon-

grue exercitatio hæc literatis, & qui ex ventriculi debilitate laborant, commendanda venit. *Vocis* autem *exercitationem* ventriculi integritati præſidio eſſe, veteres omnes affirmant. Hinc *Hippocrates Lib. III. de diæta*, ita ſuam hac de re ſententiam declarat: *Vocis exercitatio a cæna valde commoda eſt.* Sic & *Celſus Lib. II. Cap.* 8. inter exercitationes imbecilli ſtomacho conferentes *claram* commendat *Lectionem.*

Stomachi vitiis imprimis expedit, quia majorem ſanguinis ad ventriculi parietis influxum, adeoque ſecretionem gaſtrici ſucci præſtat uberiorem: & continuo repetita diaphragmatis commotione chylificatio promovetur: præterea in tali *Vociferatione*, quum ſanguis majori in copia caput petit, major fit ſalivæ ſecretio, quod docent oratores, in quibus ſaliva adeo copioſe in ore colligitur, ut ſæpe ſponte effluat.

Verum enim vero, quemadmodum moderata *Vocis exercitatio* optime ſanitati conveniens eſt, ita nimia *Vocis intenſio* & ſine ulla intermiſſione, capiti præcipue infeſta eſt, quia ſanguinis impetum ad illud urget: continua enim tunc aëris inſpirati preſſione, ſanguis per pulmonum vaſa vix transmittitur, hinc & venæ jugulares ſe evacuare non poſſunt, monſtrante hoc faciei livore. Hinc imprimis ſibi caveant plethorici & ſanguinei omnes, tales enim per quam facile in cæcitatem, ſurditatem, vel apoplexiam facta vaſis cujusdam ruptione incidunt. Laudatur tamen aliquando ut in ſuppurata peripneumonia ad abſceſſum rumpendum.

§. XXVI.

§. XXVI.

Tranſeamus nunc ad motus corporis alienis viribus peragendos, iisque maxime commendandos, qui debile corpus ac viribus deſtitutum ſive per morbos ſive per alias cauſas habent; inter quos principem locum jure obtinet *Equitatio*, quæ maxime chronicis malis dicata eſt, & ut ante (§. XV.) jam vidimus omnium optime hypochondriacis convenit, & qui viſcera craſſis humoribus infarcta habent: blandiſſima enim hac corporis concuſſione, (moderationis terminum non excedente,) ſanguis non ſolum fluidior ſubtiliorque redditur, verum & meſenterii & glandularum inteſtinalium obſtructiones reſerantur, & humores in viſceribus hinc inde ſtagnantes diſcutiuntur, imo & ventriculi & inteſtinorum calor mirum quantum accenditur.

Maxime vero omnium, omnis impetus & terminatio in abdomen fit, deſcendit ac terminatur, quo ventriculus, diaphragma, inteſtina, (qua per ſuas revolutiones omnes partes abdominis in eo contentas tangunt, easque ad ſuum officium exequendum excitant) imi ventris omnia viſcera, quæ plurima ex parte æque pendula ſunt ac illa thoracis, illorumque glandulæ vaſaque reliqua ſe — & ex — cretoria optime afficiuntur, agitantur, cedunt & recedunt, motus ventriculi & inteſtinorum periſtalticus, qui præcipua cauſa & ſecretionis chyli & ejus progreſſus per vaſa lactea, ut & ſcybalorum ejectionis foras exiſtit, quo nullus motus in œconomia animali propemodum magis neceſſarius & utilis eſt, egregie juvatur atque impellitur. Hinc obſervationes practicæ ac anatomicæ paſſim teſtantur atque confirmant, plurimorum morborum chronicorum ſedem hic eſſe, quia unum vel alterum horum viſcerum ſcir-

rhoſum, exeſum ac putrefactum repertum eſt. Per venas enim ſanguis in his partibus difficilius regreditur, quoniam debito impulſu ſunt deſtitutæ.

Non minus cauſæ graviſſimorum morborum chronicorum nidulantur in meſenterio, per quod omnis chylus omnisque lympha ferme ex toto corpore ad raceptaculum lymphæ & chyli pergit, ubi non debito impulſu fertur & circulatur, hydatidum, lymphæ extravaſationum, abſceſſuum, ſcirrhorum, obſtructionum viſcerum cauſam, ſubminiſtrat.

Pari modo ſeſe res habet cum hepate, per quod ut denſum admodum viſcus, liquorum fluxus refluxusque non ſatis eſt expeditus ſed difficillimus: in culpa non levi ſine dubio eſt vena portarum, cujus ſtructura & uſus plane ſingularis eſt, nam diverſa plane eſt ab aliis venis omnibus: e minoribus enim canaliculis divaricatis, ad majores & dein iterum in minores dividitur, in qua ejusque præſertim perpendiculari adſcenſu, impulſus ab arteriis & motus diaphragmatis & muſculorum abdominis ſub reſpiratione, vix ſemper ſufficiunt, qui omnem ſanguinem ex tot viſceribus redeuntem per omnes & minimos tubulos, per hepar, ad bilis ibidem ſecretionem perficiendam, hincque in venam cavam atque iterum ad cor propellere posſint. Hinc ex circulatione hic impedita, multa magnaque incommoda ex hoc fonte promanant, & plura ſane quam quidem Medicorum vulgus ſatis perpendit aut credit; ut vero ſanguis omnis jugiter per hæc aliaque vaſa propellatur, *Equitatio*, ſingulari ſua motione atque agitatione, omnium optime efficit.

Maxime convenit *Gradaria Equitatio*, quia æquali niſu omnes partes tangit, univerſo corpori proficua eſt, perſpirationem imprimis æqualiter promovendo, ipſumque appetitum acuen-

acuendo. Hinc juvat imprimis imbecilles, qui ob inſignem virium jacturam, corpus exercendi facultate carent: imo præ cæteris optime valet in pthiſi, ſcorbuto & cachexia, teſte *Sydenhamo* aliisque ex recentioribus.

Equitationis exercitium, in hac conſideratione ſequitur *Navigatio* & *curru Vectio*, quæ plurimis hodie magis placet, atque tanquam optima Medicina, nec ſine ulla prorſus ratione probatur, qua & *Seneca* alias, anhelitu admodum difficili, quo premebatur, ſe liberavit.

Geſtatio, quoque omnium exercitationum molliſſima, imprimis imbecillibus quadrat, adeoque in longis & jam inclinatis morbis convenientiſſima eſt.

§. XXVII.

Ad motus ſpecies, quæ perſpirationi promovendæ plurimum faciunt, *Frictio* quoque jure merito referenda eſt; a cujus frequenti uſu, ſenes præcipue & lanquentes inſignem ſanitatis præſidium habent; ut & nos docuit Celeberr. Profeſſor olim Tentator nunc & Promotor meus Honaratiſſ. *A. van Royen*, qui optimos ſæpius inde vidit effectus in quam plurimis morbis languidis. Manifeſte in ipſis equis videmus, qui ſi frequenter ſtrigili depexuntur, non modo impinqueſcunt, ſed & alacres atque vivaces redduntur, adeo ut exinde æque ac ex nutrimentis beneficium capiant.

Optime convenit *Frictiones* inſtituere *molles* ac *prolixiores*; ita ut per univerſum corpus calor blandus provocetur, hac ratione cutis pori aperti redduntur, auctoque calore, major ſanguinis influxus allicitur, & ſanguinem attenuando ejus curſus ac-

acceleratur, unde juvandæ perſpirationi optime inſervit; hinc & ventriculo amica valde eſt *Frictio*, cujus languenti digeſtioni egregie ſuccurrit: unde *Celſus lib. IV. cap. 6.* ſuadet, ut frictiones brachiorum & crurum ad emendandas ſtomachi affectiones, ter vel quater de die celebrentur.

Maxime quoque conducunt infantibus rachiticis; ita ut a variis auctoribus *Frictiones* cum linteis calidis in ſpina dorſi, brachiis & pedibus inſtitutæ commendentur. Pari ratione convenit in paralyſi, in hydrope recenti a debili vi vitæ orto: hoc teſtatur *Th. Willis lib. de medicament. oper. ſect.* 11. *cap.* 5. aquas enim ſtagnantes commovet, tenacitatem liquidi ſolvit, ſolutum liquidum in vaſa, unde exularat, denuo deducit.

§. XXVIII.

Quemadmodum autem præſtantiſſimum quodvis remedium, niſi convenienti tempore, certa proportione ordine ac doſi adhibeatur, magis noxæ quam præſidio eſt corpori, ita etiam illud verum eſt de *Panacea noſtra Univerſali*; qua, niſi ratione individuorum habita, certoque tempore ac modo utamur, plus detrimenti quam utilitatis ab ipſa expectandum in arte Medica erit: quum itaque homo ab homine ratione temperamenti, ætatum, virium, habitus corporis & victus, inſigniter differat, hinc motus cujusvis naturæ & conſtitutioni conveniens imperandus eſt; conſtat enim experientia homines æque ac animantia nimio motu defatigari viresque amittere.

In genere illud obſervandum eſt, quod robuſta corpora ac duro victui aſſueta, graves ac laborioſos motus absque ullo incommodo ferre queant, quibus vero imbecilliores potius læ-

dan-

dantur. Quare ſenibus, pueris, pthiſicis, ex morbo convaleſcentibus, placidum motionis genus *V. Gr.* vectiones in rheda, navi &c. omnino imperandum eſt: huc ſpectat dictum *Hippocratis ſect.* II. *aph.* 51. *&* *Celſi lib.* II. *cap.* 15. e contrario autem corpora robuſtiora & quæ viribus valent, paulo validiori motu corpus exercere debent: cujus generis ſunt *Pilæ parvæ Luſus*, *Saltatio*, *Curſus*, *aut ruſticorum & mechanicorum Labores* & ſimilia. Sic corpora quo magis ſuccis turgent, & humiditate repleta ſunt, eo diuturnius corpus moveant neceſſe eſt: quo autem macilentiora ſunt, & velociorem ſanguinis curſum habent, ut & quæ complexionis cholericæ ſunt, eo parcioribus exercitiis ac laboribus uti oportet: hinc *Hippocrates lib. de diæta*, docet: *Carnoſos ambulare citius oportet, graciles vero tardius.*

Conſtat etiam frequenti obſervatione gravidas, quæ plurimo, ſed ſimul moderato motu corpus exercent, faciliorem uterum gerere, fætumque edere robuſtiorem, quam quæ continuo otio indulgent; quod & ſtabulariis notum eſt, qui equas gravidas quotidie per aliquot horas placido curſu exercent. Motu enim conſumuntur ea, quæ in otioſis accumulata, impuros humores & matri & infanti ingenerant. Sed quam maxime in his metuendus eſt motus vehemens, teſte *Hippocrate lib. de nat. puer. ſect. IV. pag.* 136. *ſaltando enim cantrix abortivit.*

Præterea etiam nutrices quæ motu ac labore corpus circumagunt, longe ſalubrius & uberius lac infanti propinant, quam quæ totis diebus ſellæ & cunis infixæ hærent: actione autem brachiorum & muſculorum pectoralium, qui ſubjacent mammæ diſco, optime ſecretio & affluxus lactis in mammis promovetur.

 §. XXIX.

§. XXIX.

Ratione ætatis peculiaria quoque annotari merentur circa uſum noſtri remedii. Infantibus nempe convenit in lectulis vel nutricum ulnis moveri. Pueri tertium aut quartum jam agentes annum, vehiculo agitari debent, & ut proprio motu incedant aſſuefaciendi ſunt, ita tamen ne nimis propere ambulent, hoc enim crura diſtorquet: ſeptennibus vero liberius concedatur exercitium, minor tamen quam vires ferunt, ne membra lædantur; ut aſſueſcant quoque equitare convenit, hoc enim faciendo fortes fiunt membris & animo hilares. Neque ulli ætati magis conveniens eſt motus quam puerili, dum hæc ob nimiam edendi voracitatem, valde obnoxia eſſe ſolet infarctibus viſcerum, & inde promanantibus lentis, tabidis, & hecticis febribus; quæ tamen incommoda omnia, optime averti poſſunt, ſi ipſis pueris convenientem corporis concedamus motum.

Caveant tamen ſibi a vehementioribus exercitiis mediæ ætatis juvenes, in quibus velocior eſt ſanguinis circuitus, cum experientia conſtat exinde inflammatorias febres, ardentes, pleuriticas & peripneumonicas ſæpe ſæpius ſibi contraxiſſe: cum potius placida *Saltatio*, ac modica *Equitatio* ipſis magis conveniat. Sic ſenes nec quietem nec exercitium vehemens poſtulant, qui tamen motu corporis conveniente accenduntur; hinc ſi eos exerceri imperamus, virium rationem ſemper habeamus neceſſe eſt. Conſentit nobiſcum & *Hippocrates in Aph.* 49. *Sect. II. Conſueti ſolitos labores ferre etiamſi fuerint debiles, aut ſenes, inſuetis robuſtis licet & juvenibus facilius ferunt.*

§. XXX.

§. XXX.

In motu ratio certi ordinis habenda eſt: ut ſi quis a motu medicinam & auxilium petere velit, ne ſi ei non aſſuetus fuerit, ſtatim in principio nimis vehementer corpus moveat. Valet hoc maxime de melancholicis & plethoricis, qui ſi ſubito vehemens, diuque perſeverans corporis exercitium ſubeunt, capitis dolores, vaſorum tenſiones, membrorum laſſitudinem, febres, inflammationes, & difficilem reſpirationem ſibi accerſere poſſunt; quam in rem egregie ſpectat *Aph.* 51. *Sect. II. Hippocratis: multum & derepente evacuare, aut replere, aut calefacere, aut frigefacere, aut aliter quocunque modo corpus movere periculoſum eſt. Quod vero paulatim fit, tutum eſt.* Unde magis convenit primo paulatim & ſucceſſive aſſueſcere motui fortiori; primo enim debet eſſe lentior, poſtea vero ſenſim accelerari poteſt. Ratio quoque in procinctu eſt; quod ſi ſanguis craſſus & copioſus in vehementiſſimam agitationem conjiciatur, per minimos tubulos difficilius vibretur, & dum reſtagnat, vel ad vicina vaſa regurgitat, ibi vel hæmorrhagias, vel hiſce non ſuccedentibus, ſtaſes inflammatorias, ſpasmodicas ab expanſis & irritatis vaſculis excitet.

§. XXXI.

Exercitationes ut cibum præcedant, veteres imprimis *Hippocrates* & *Galenus*, omnesque ſaniores medici uno ore pronunciant: ſic *Hippocrates Lib.* 6. *epidem: Sect. IV. labor cibum præcedat.* Nam per motum ante cibi uſum, reliquiæ prioris in ventriculo & cæteris viſceribus plus premuntur & at-

tenuantur, & majus robur iis conciliatur; poſt cibum autem omnis motus vehemens valde noxius obſervatur: inſtituto enim ſtatim poſt cibum exercitio, alimenta citius quam par eſt, ex ventriculo præcipitantur, unde debita eorum ſolutio impeditur, & crudorum humorum copia accumulatur, & chylus crudus & viſcidus adhuc ad ſanguinem per vaſa lactea defertur, qui poſtea totum corpus reddit cacochymicum. Hinc *Galenus lib. de boni & mali ſucci cibis*, ait: *exercitatio ut ante cibum bonæ valetudinis maximum adfert commodum, ſic qualiſcunque ſumpto cibo motus noxius admodum eſt.* Leves tamen deambulationes una vel altera hora poſt paſtum inſtitutæ, optime novum chylum ad ſanguinem deferunt: unde *Schola Salernitana:*

Poſt cœnam ſtabis aut paſſus mille meabis.

ſed proportio eſt habenda inter alimentum & motum, hinc *Hippocrates lib. de diæta: conſiderandum eſt utrum cibus ſuperet labores vel labores cibos, vel moderate inter ſe habeant, utrum enim tandem ſuperetur, morbi fiunt, ab æqualitate autem inter ipſa mota ſanitas adeſt.*

Obſervandum quoque venit circa exercitationis quantitatem ſeu menſuram, ut continuentur, (ſi vires concedunt,) exercitia, ad debitum usque & æquabilem corporis calorem, & donec ſudor erumpat, nec non laſſitudine corpus adfici incipiat. Admodum autem tunc cavendum erit, ne corpus validioribus exercitiis calefactum nimis cito aëri frigido objiciatur, multove minus frigidi potus aſſumantur, qui ſæpe ſæpius contumaciſſimos morbos tam chronicos quam acutos poſt ſe traxerunt, imo & ipſam mortem induxerunt.

Atten-

Attendendum quoque eſt ad anni tempus, æſtate enim ſanguis magis rareſit, vaſa calore ſunt expanſa, per motum tunc nimis intenſum, liquidiſſima e corpore diſſipantur, ſanguis ſit compactus, ad inflammationes aptus, convenit ergo hoc tempore motus lenis: in frigore autem, dum vaſa magis ſunt conſtricta, pori minus patentes, motus auctior non adeo nocet. Præterea conſiderationem meretur conſuetudo, juxta mox citatum (§. XXIX.) *Hippocratis Sect. II. Aphor.* 49.

Nec ſufficit ſimplici vice motum adornare, ſed ad minimum bis de die corpus exercere oportet, ſi valetudinem ſartam tectam ſervare, & ad provectam ætatem pervenire cupimus.

§. XXII.

Hæc ſunt B. L. quæ de motu & exercitiis corporis collegeram, quæque veſtro examini ſubmittere volui, ex quibus vobis ni fallor ſatis patebit, tituli mei de *Panacea Univerſali* ratio: & licet non dubitem, imo nec ignorem, quin plura adhuc ad eorum hiſtoriam pertinentia adjungi poſſent, hic tamen diſſerendi finis eſto, cum legibus Academicis ſatisfactum eſſe arbitror. Quod itaque reliquum eſt, Te L. B. ut crudos hoſce Tirocinii mei fructus æqui bonique conſulas, iterum iterumque rogo.

FINIS.

THESES.

I.

Panaceam qui quærit, nodum in ſcirpo quærit.

II.

Non datur præſtantius ad tuendam ſanitatem morboſque avertendos remedium, quam motus corporis & exercitatio.

III.

Sanus homo & qui bene valet & ſuæ ſpontis eſt, nullis ſe obligare legibus debet. Celſus Lib. I. Cap. 1.

IV.

Qui natura admodum craſſi ſunt citius intereunt quam graciles, & præpinguia corpora celerius ſeneſcunt. Hippocrates Sect. II. Aph. 44.

V.

V.

Medicamentum non ſemper ægris prodeſt, nocet ſemper ſanis. Celſus Lib. II. Cap. 10.

V I.

Multorum morborum chronicorum, ſi non omnium, ſedem in primis viis quærendam eſſe ſtatuo.

V I I.

In multis morbis curandis magis ſolidorum quam fluidorum habenda eſt ratio.

TER

TER INHULDIGING
VAN DEN HEER
J. D. JACQUET,
Als Geneesheer.

Dus word Uw noeſte vlyd met Lauweren bekroont:
En Gy moogt regt, myn vriend! Op Uw bevordering roemen,
Minerva, die altoos haar Lievelingen loont,
Vlegt om Uw hoofd een krans van onverwelkbre bloemen.
Apol der Artzen *Godt* benoemt U tot zyn Zoon.
Indien myn Zangſter koſt op hoger toonen zingen,
Zy hefte Uw roem in top, en vlogt U ook een kroon,
Dog nu volbrengtz' haar pligt met wenſch van Zegeningen
Leev lang, de voorſpoed en geluk verzell' uw kunſt,
Vergaar ook nu de winſt van 't onophoudelyk ſlaven,
Strek 't menſchdom een *Galeen*, wint dus een ieders gunſt,
Zoo kan nog tyd nog nyd uitwiſſchen uwe gaaven.
Den *Opperzeegenaar* ſchenk hier U tydelyk goedt,
En geev dan Eeuwiglyk dat roeſt nog mot verdoet.

Non ut volui ſed ut potui.

C. C. BRENDER à BRANDIS,
Litt. hum. Stud.

AAN

AAN DEN

HEER

J. D. JACQUET,

Wanneer zyn Ed. op Leidens Hoogeſchool tot Doctor der Geneeskonſt wierd bevordert.

Het goud geſtarnt had pas zyn flonkergloed gedooft,
En het aſuurgewelf van dezen glans berooft,
Eer noch 't gedooke licht de purpre ſtraalen ſpreide,
En de akelige nacht van 't helder dagh licht ſcheide,
Wyl noch de morgendaauw het velt met paerlen dekt;
En Herder Vredelief zyn knaepen had gewekt,
Om 't witgewolde Vee ter koojen uit te leiden,
En langs een zilvre vliet in 't zachte groen te weiden,
Waar malſche klaver wies, met bloempjes onder een,
Wyl 't zuide windje golvt, door tedre telgjes heen;
Het weelig pluimgediert vereende hun gezangen
Om 't koeſtrend zonnelicht al juichende te ontfangen,

Dat nu ter kimme uit rees, met rooſen opgetooit,
En voor zich heen een gloed van goude ſtraalen ſtrooit,
Den morgendaauw oplekt, de bloempjes doet ontluiken,
Den ſteeman lokt in 't velt, 't wilt in hun hol doet duiken:
De Herder, die zyn vee zag graaſen voor hem heen,
Zyn jonge geitjes in de malſche klavren treen,
Ging, onder 't ſchommlend loov der hooggetopte abeelen,
Op 't zevenmondig riet een lentedeuntje ſpeelen.
Dus huppelde de vreugt langs groene velden heen,
Als ik de ſtad ontweek, in 't eenſaam velt ging treen,
Juiſt denkend, dat dees dagh uw noeſte vlyt zou loonen,
En als Apollos telg met lauwerblaan bekroonen.
Dus word een moedig held, die op de ſtaaleborſt,
Het ſlaan der ſweerden ſtuit, met ſtof en bloed bemorſt,
En 's vyands woeden weet door dapperheit te ſnuiken,
Daar hy 't verwonne heir voor zynen arm doet duiken,
Met lauweren bekranſt: zoo ziet gy ook uw vlyt,
Dees dagh met eer bekroont; nu ge een geruimen tydt,
U onder het beſtuur van Leidſche Hippocrateſſen
Begeven hebt, om 't merg van hunne wyſe leſſen

Te

Te haalen, daar g' aan de ſtudien toegeweid,
De zoetſte vrugten plukt, van uwen arrebeit;
Gelyk de nyvre bie, in 't nugtre morgen krieken,
Daar zy in 't bloeijend velt waar d'eelſte geuren rieken,
Heur teere vlerkjes ſpreit, op 't ziel verrukkend groen,
Om uit dat ſtreelend ſchoon, heur voorraet op te doen;
Dus hebt Gy ook uw tydt met ivrig onderzoeken,
Van 't geen u 't nuttigſt was, uit allerhande boeken,
Met lof geſleten, daar g' uw wenſchen ziet bekroont,
En ider blyken van uw noeſten arbeid toont,
Myn blyde Dichtnimf legt dees lauw'ren voor uw voeten,
Daar ze U als *Doctor der Geneeskonſt* tans mag groeten,
En wenſcht dat uwen roem, door veelen word vermelt,
Die Gy door uwe zorg van ziektens hebt herſtelt.
Zoo lang de gryſe Maas, langs Batos vrugtbre zoomen,
Voor by den Briel heen vloeit, en op de zilvre ſtroomen,
Langs groene boorden ſpoeld, en ſtrand en zeewaards ruiſt,
Tot hy in Nereus bron, met ſneller golven bruiſt.
Zoo lang de gulde zon, met ſchitterende glanſſen,
Het ganſch Heel-Al beſtraalt, en aan de aſuure tranſſen,

De flonkerende maan zyn horens krommen zal,

En 't tintelend geſtarnt, oneindig in getal,

Aan 's Hemels blaauw gewelf, met glans op glans zal gloeijen,

Zoo lang moet uw geſlacht, en Naam, en glorie, bloeijen.

PETRUS HAAK,

BRILA BATAVUS.

S. S. Theol. Studioſus.